



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

3. Quomodo habitus concurrunt ad actum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

quia alias alia causalitas causæ principalis requireretur, & sic multiplicarentur entia sine necessitate. Et per hoc etiam probatur quod potentia non debeat partialiter concurrere per modum causæ principalis partialis immediate.

Quæres, an quemadmodum producit habitus per actus, ita etiam augeatur per illos.

21. *Hæc quæstio* supponit augeri habitum, id quod patet experientia, non minus quam dari habitum; nam sicut experientia colligimus nos inclinari ad aliquid, ad quod antecederet non inclinabamur, & propterea dari habitum quo inclinemur: ita etiam colligitur nos magis inclinari ad aliquid, & consequenter dari aliquid quo inclinemur: illud autem non est aliud nisi augmentum habitus: ergo datur tale augmentum.

Respondeo primo, habitum omnem qui acquiritur per actus, augeri per actus intensiores seipso.

Probatur, quia per aliquos debet augeri, sed per nullos potius, quam per intensiores: ergo.

22. *Respondeo secundo*, etiam cum augeri possit per minus intensos, & a fortiori per æque intensos. Ratio est: quia nihil impedit quo minus etiam augeatur per huiusmodi actus, neque enim sequeretur aliud inconueniens quam quod simile ageret in simile; quamvis autem simile quoad intensiōem & speciem non possit agere in aliud simile, verbi gratia album ut duo in aliud simile album; tamen non est inconueniens, quod simile in intensiōe tantum & non in specie possit agere in aliud, alias frigidum ut tria non posset agere in calidum ut tria, nec è contra: sed actus & habitus non possunt esse similia nisi in sola intensiōe, cum sint diuersæ speciei.

Dices, actus ut tria non posset generare habitum ut quatuor: ergo nec intendere habitum ut tria, quia si posset intendere, posset primo producere.

Respondeo negando consequentiam cum sua probatione, quia actus non habet virtutem producendi statim tot gradus quot potest, sed requirit ad hoc tempus, ut patet experientia: neque enim statim quis habens intensissimum actum, sentit intensissimum habitum, nisi actus frequenter; unde fit ut non possit ab initio habitum tantæ aut maioris intensiōis, quam ipsemet habet producere, quamvis si continuaretur diu, aut repeteretur, id posset facere.

QVÆSTIO III.

Quomodo habitus concurrat ad actum.

23. **D**Væ sunt sententiæ præcipuæ de hac difficultate.

Prima dicit habitum concurrere solum in genere causæ formaliter determinantis & inclinantis potentiam sine ullo concursu effectiuo. Hanc tenet *Durandus* in 13. dist. 23. q. 4. *Palud.* q. 2. *Rubion* q. 21. art. 3. *Cambrinus* q. 18. *Logice. Auerſa* q. 49. sect. 8. & alij.

Secunda sententia est, quod habitus concurrat ad actum effectiue tanquam causa partialis. Hanc amplectuntur *Medina* 1. 2. q. 4. *Valentia* q. 1. de Habitibus. *Salas tract.* 10. *Suarez disp.* 44. sect. 5.

Doct̃r noster 1. dist. 17. q. 2. utramque sententiam hanc probabiliter sustinere videtur, proponit enim & soluit rationes utriusque. *Arriaga disp.* 9. sect. 3. utramque causalitatem habitui tribuit. *Vasqu.* 1. 2. disp. 83. putat habitum concurrere efficienter, non tamen ad ipsam substantiam actus, sed ad modum eius.

CONCLUSIO I.

Habitus non debet habere utramque rationem concurrendi ad actum.

Hæc est contra *Arriagam*, & probatur: Vnus tantum ex his modis concurrendi sufficit, & alter omnino superfluit & gratis asseritur; non sunt autem multiplicandi concursus, aut causalitates diuersæ absque necessitate.

Obiicies pro Arriaga, impulsus determinat rem impulsam effectiue concurrendo ad motum: ergo & habitus inclinatur in actum effectiue concurrendo ad ipsum.

24. *Respondeo* distinguendo consequens: si habitus

habeat determinare & inclinare formaliter, nego consequentiam; si non habeat, transeat consequentia. Et sanè eodem modo dicendum est de ipso impulsu, quod nimirum si inclinet formaliter, non inclinet etiam efficiēter, quod si etiam essent rationes aliquæ particulares, ex quibus colligeretur quod impulsus & inclinet formaliter ad motum & cum etiam producat effectiue, negandum esset idem sequi de habitu, quia non sunt rationes simile quid probantes de habitu; neque est necesse ut habeat in hoc proportionem cum impulsu, sicut non habet in aliis rebus.

Obiicies secundo pro eodem: quo intensior est habitus, eo minori cum fatigatione voluntas producit actum: sed hoc non ob aliam causam, nisi quia habitus concurrat effectiue cum illa, & propterea ipsa non debeat tantum adhibere concursus, quantum sine habitu deberet.

Confirmatur, quia quo habitus est intensior, eo potentia potest non obstante distractione maiori, elicere actum suum: sed hoc non aliunde, nisi quia propter concursum suum in actum, & partem exhibere actui, partem aliis actibus.

Respondeo, ex suppositione determinationis formalis, negando minorem: sed illa minor fatigatio orietur ex illa inclinatione & determinatione formali; & certe ut supra dixi, non oritur ex applicatione totius concursus fatigatio, alias intellectus agens fatigaretur producendo species intelligibiles, in quarum productione totum conatum exhibet; & quamvis visus non concurreret efficienter ad unionem, adhuc æque fatigaretur ac de facto fatigaretur.

Ad confirmationem etiam respondeo negando minorem: sed ratio est, quia determinatur ac inclinatur formaliter per habitum ad actum illum, & consequenter facilius cum elicit quam alias fecisset, & sine distractione, & cum distinctione.

CONCLUSIO II.

25. *Si habitus concurrat effectiue, concurrat ad ipsammet substantiam actus, & non ad modum aliquem eius.* Hæc est communis, contra *Vasquem*, qui male pro sua sententia citat *Scotum*, cum directe illam impugnet.

Probatur, tum quia si concurrat effectiue, nihil impedit quo minus concurrat ad ipsammet substantiam actus: tum quia gratissime asseritur aliquis modus ex parte actus distinctus ab ipso, qui produceretur per habitum: tum quia omnis actus sequitur ipsum: ergo prius debet produci actus quam modus: sed tota difficultas ad quam superandum ponitur habitus, est in producendo ipsomet actu: ergo habitus debet concurrere ad producendum actum pro illo priori ante modum, aliàs ad nihil deferuiet; & consequenter non debet concurrere ad aliquem modum eius.

CONCLUSIO III.

26. *Probabile est quod habitus non concurrat effectiue cum potentia, sed quod determinet ipsam formaliter tantum.* Hæc est iuxta primam sententiam, contra reliquas.

Probat primo Auerſa, quia actus producit effectiue habitus: ergo habitus non producit effectiue actus; quia inter causas æquiuocas non potest dari huiusmodi mutua productio, quia una debet esse necessario altera simpliciter perfectior, & cōsequenter non poterit ab illa produci.

Hanc probationem merito dicit esse ad hominem, contra eos qui asserunt nullas duas species posse esse æqualis perfectionis, quia in sua propria sententia id est falsum; unde hæc probatio non sufficeret in ipsius sententia.

Sed neque sufficit etiam in aduersa, quia licet æquiuoca causa non possit producere effectum perfectiorem per modum causæ totalis, potest tamen per modum partialis, nec in hoc est vlla difficultas: habitus autem concurreret partialiter tantum.

Probatur ergo melius, quia ipsamet potentia habet virtutem ad æquate productionem actus, ut patet ex eo, quod primum actum antecederent omnem habitu producat seipsa absque habitu: sed tam perfecte applicatur ad eum producendum

Habitus
augetur
per actus
intensiores
se.

Et per
minus intensos.

Habitus si
concurrat
effectiue
ad substantiam
actus.

Probabilia
quod habitus
non concurrat
effectiue.

Habitus
non concurrat
effectiue &
formaliter
ad actum.

producendum quando habet habitum, ac quando non habet ergo etiam quando habet habitum, adaequate actum producit, & consequenter non indiget effectiuo concursu habitus. Probatur consequentia prima, quia si absque habitu sic applicato adaequate producit actum, frustra daretur ipsi concursus effectiuus habitus, etiam posito habitu.

27. *Dices* non frustra dari illum concursum, quia quamuis possit sine eo actum producere, non poterit, tam facile, & expedite, quam cum ipso; licet ergo non requireret concursum effectiuum habitus ad simpliciter posse, tamen requireret ipsum ad facile, & delectabiliter posse.

Hac replica est fundamentum potissimum secundae sententiae; unde diligentius enervanda est.

Contra ergo primo, quia non potest potentia habere ab illo concursu facilius operari, quam sine illo; ergo in ordine ad hoc non debet poni concursus habitus; & consequenter replica corrumpitur.

Probatur antecedens: quia eatenus haberet à concursu habitus facilius operari quam sine ipso, quatenus à concursu proprio, quem tollit concursus habitus, haberet difficilius operari; sed hoc est falsum; ergo. Maior probatur: quia si non haberet difficilius operari quādo ipsamet haberet totum influxum in actum, non facilius operaretur quando haberet concursum habitus, & non haberet totum influxum suum quem haberet sine habitu: ergo ideo facilius operatur per concursum effectiuum habitus, quia à concursu proprio haberet difficilius agere.

Probatur etiam minor primo, quia difficultas potentiae in agendo est difficultas sensibilis, quam experimur in nobis: ergo provenit formaliter ab aliquo, quod sentimus; sed prorsus non sentit potentia concursum, aut influxum suum; ergo difficultas ipsius non oritur ab influxu formaliter.

28. *Probatur secundo eadem minor*, quia ideo haberet difficultatem ab influxu suo, quia totum conatum in eum intendit, & absque concursu alterius causae ipsamet totaliter causat actum; sed ex hoc non deberet sentire difficultatem, quae superari deberet per habitum, quia potentia visiva exhibet totum conatum suum ad actum visionis, & tamen non sentit difficultatem per hoc praecise quod exhibeat totum conatum, quem potest, & quod non addit concausa supplens partem concursus.

Probatur tertio eadem minor, quia si proponatur bonum delectabile voluntati, ut delectabile praecise, non sentit ullam difficultatem in eius prosecutione, quoad primum actum, & tamen tunc habet influxum totalem in illum actum absque concursu habitus: ergo non sentit difficultatem ex eo formaliter, quod habeat concursum totalem; nec ex eo formaliter non sentit difficultatem, quod habeat concursum effectiuum habitus. Per quod etiam optime impugnatur sententia *Arriagae*, reiecta conclusione prima.

29. *Contra eandem replicam secundo*, per hoc quod potentia habeat inclinationem ad unum actum, v. g. intemperantiae, oppositus actus erit ipsi difficilis, qui non esset ipsi difficilis, si non haberet illam inclinationem; & ideo aliquis actus est ipsi facilis, qui alias erat difficilis, vel quia tollitur inclinatio ad oppositum actum, vel quia additur inclinatio ad actum illum, qui sit facilis; neque ratione, aut experientia colligitur alia difficultas, aut facilitas in potentia ad actus eliciendos: ergo habitus solus debet poni, vel ad dandam inclinationem ad actum, vel ad tollendam inclinationem ad oppositum actum; neque ratione aut experientia constat aliud munus competere habitui, & consequenter frustra & gratis attribueretur ipsi. Sed per concursum actiuum non potest tollere inclinationem ad oppositum actum, neque addere inclinationem ad vllum actum; ergo non indiget potentia concursu effectiuo habitus ad facilius producendum actum.

Probatur subsumptum, quod solum negari potest ab aduersariis, quia concursus actualis habitus solum habet supplere illam partem concursus potentiae, quae non adest, & influxus adaequatus potentiae & habitus habet solum effectiuum & formaliter tantum facere, quātum concursus adaequatus solius potentiae, qui sufficeret ad actum

si adfuisset: sed nec pars concursus potentiae, quae deest praesente concursu habitus, neque totus influxus ipsius tolleretur inclinationem potentiae ad oppositum, aut si tolleretur, iam non esset productio actus difficilis potentiae: ergo neque partialis concursus habitus, neque totalis influxus ipsius & potentiae, tollit ipsam inclinationem ad oppositum: & simili ratione potest probari, quod non addat inclinationem ad actum.

30. *Confirmatur*: quando aliquis habitualiter intemperatus elicit actum temperantiae, sentit difficultatem in eo eliciendo; ergo ab aliquo oritur illa difficultas. Tum sic: vel illud, à quo oritur illa difficultas formaliter loquendo, est solus habitus intemperantiae absque aliqua productione, vel alia qualitate producta per ipsum: vel est productio aliqua alicuius alterius qualitatis, aut alia illa qualitas. Si dicatur primum, habetur intentum, quia quidquid habitus facit seipso absque productione, facit illud, non quatenus concurrat effectiuum, sed quatenus determinat formaliter in genere causae formalis, & haberet id facere, quamuis non esset productiuus vlla ratione. Si dicatur secundum, praeterquam quod nihil possit produci ab habitu intemperantiae, nisi actus intemperantiae, & quod talis non producat quando elicitur actus temperantiae, adhuc illud aliud quod producit tunc, est, quod retardat potentiam, & facit ipsi difficilem actum temperantiae: & hoc habet facere vel formaliter, vel effectiuum: si formaliter, ergo similiter posset dici de ipsomet habitu, quod redderet seipso formaliter actum virtutis oppositae difficilem potentiae: si effectiuum, ergo dabitur processus in infinitum. Quod si habitus intemperantiae reddit seipso formaliter actum temperantiae difficilem potentiae, eodem modo habitus temperantiae seipso formaliter reddet illum actum facilem potentiae, à paritate rationis.

31. *Probatur tertio conclusio*, quia aliquid potest inclinare ad aliud absque concursu effectiuo ad illud: sed ideo habitus deberet habere concursum effectiuum, & non sufficeret concursus in genere causae formaliter determinantis, quia non posset absque effectiuitate esse talis determinatio; ergo.

Probatur, quia interior finis inclinat formaliter ad electionem mediorum, in probabili sententia aliquorum ex suppositione quod interior & electio distinguantur realiter, ad quam tamen electionem non concurrat efficienter.

Rursus assensus principiorum inclinat formaliter ad assensum conclusionis, ad quam non concurrat efficienter.

Praeterea delectatio ac voluptas, quam antecedenter ad actum prosecutionis producit obiectum in appetitu sensitivo, ac voluntate, inclinat illas potentias ad prosecutionem, quae tamen prosecutio non producitur efficienter ab illis.

Probatur quarto, quia vel posito habitu potentia habet tantum concursum ad actum, quantum haberet eo non posito, vel minorem: si minorem, ergo frustra superadditur habitus, quandoquidem quātum superadditur de concursu habitus, tantum subtrahatur de concursu potentiae: si tantum, ergo impossibilis est concursus habitus saltem naturaliter, quia quando datur actio adaequata respectu alicuius termini, non potest dari vlla alia actio naturaliter, secundum omnes, quia superflueret; nec supernaturaliter secundum *Scotistas*, ex principiis illis, ob quae asserunt, non posse dari duas causas totales eiusdem effectus, aut vnam totalem & aliam partialem; sed concursus quem sine habitu haberet potentia, esset adaequatus respectu actus: ergo non posset ipsi superaddi concursus potentiae.

32. *Dices* concursum habitus superadditum concursui potentiae esse quidem superfluum aut impossibilem respectu eiusdem actus in eadem intentione, non tamen in maiori. Itaque quando potentia se sola produceret actum, actus esset intentionis ut vnum, verbi gratia; quando vero produceretur à potentia & habitu, esset intentionis ut duo.

Contra, quia per hoc non sentiret potentia facilitatem, habitus autem ponitur propter facilitatem.

Probatur sequela, quia non minus debet esse facilis potentia

Nō habet potentia à concursu effectiuo habitus facilius & delectabiliter operari.

Nec ex concursu suo difficius.

Non agit difficultatē ex eo quod agat toto conatu.

potentia ad producendum se sola actum ut vnum, quam simul cum habitu actum ut duo : ergo quamvis habitus iuvaret ad intensiorem maiorem, non tamen ad facilitatem.

Fundamenta oppositæ sententiæ sunt soluta ex dictis, consistunt enim in hoc, quod non possit explicari quomodo potentia facilitaretur per habitum absque concursu effectiuo, & quod consequenter habitus debet habere concursum effectiuum.

Si autem quæras, quomodo fiat ista determinatio formalis per habitum, ratione cuius facilius aut delectabilius operetur.

Respondes meo iudicio non posse id melius declarari, quam dicendo, quod habitus ita disponat potentiam, ut eo supposito, vel ipsemet actus sit delectabilior voluntati, vel ab obiecto actus apprehenso causeatur aliqua qualitas delectans prævia ad actionem, propter quam qualitatem delectantem voluntas agat delectabiliter, vel certe per eum tollatur habitus oppositus, qui reddebat actionem difficilem.

Et si rursus quæras, quomodo reddebat habitus oppositus actionem difficilem.

Dico iuxta hæc ipsa, quod id faciebat quatenus eo supposito obiectum non poterat producere qualitatem delectantem, nec actus ipse poterat se solo formaliter esse delectabilis; & forte etiam quatenus eo supposito obiectum ipsius quoties proponitur, producit aliquam delectationem trahentem ad se. Vnde existimo habitum ex se solo formaliter non tribuere illam delectationem & facilitatem, quam sentimus, dum delectabiliter operamur, & facile. Moueor ad hoc, quia si illa delectatio aut facilitas sensibilis proueniret formaliter ab habitu solo, vix explicari potest quomodo non deberet sentiri semper, contra experientiam. Quod totum valde aduertendum est pro intellectu perfectioni huius rei valde difficile.

Obijcies pro sententia attribuentem concursum effectiuum habitui: Si non concurreret effectiuè, non posset potentia habere intensiorem actum quam est primus, contra omnes & experientiam.

Probatur sequela, quia si totaliter procedat actus effectiuè ab ipsa potentia, quandoquidem totum suum conatum intendat in productione primi actus, non potest concipi quomodo vllus alius actus possit esse illo intensior.

Respondes, hanc difficultatem solū concurrere in actibus potentiarum naturalium, quæ sunt naturaliter ex se determinatæ ad faciendum quantum possunt, causa enim libera facile potest intendere ac remittere suum conatū, & consequenter habere magis vel minus intensum actū, prout voluerit adhibere suum conatum, & per habitum etiam poterit aliquo modo inclinari ad præstandum maiorem conatum, quam sine eo præstitisset. Quod ad alias autem potentias naturales, non esset secundum me inconueniens quod nunquam haberent intensiorem actum quam semel, nisi propter meliorem applicationem obiecti, aut perfectiores species: ad intensiorem autem, quæ ex hoc oriretur, impertinens esset habitus.

Vnde in forma respondeo, negando sequelam, nam potentia libera posset habere intensiorem actum ex libertate sua absque concursu effectiuo habitus; & potentia naturalis posset habere intensiorem actum ex perfectioni applicatione obiecti, ac perfectioribus speciebus.

33. Quæri solet hic, quomodo repugnent habitus contrarij.

Respondetur, quod repugnent naturaliter ob oppositionem contrariam quam habent in gradibus intensi, non tamen in remissis; nec vllō modo de potentia absoluta, ob easdem rationes, ob quas id asseruimus in Physica de aliis formis contrariis.

Quæri solet secundo, quomodo expellant se. Arriaga proponit hanc difficultatem de habitibus, tanquam si de illis particulare quidpiam esset, quod non est de aliis formis contrariis, quantum ad explicationem.

Ego tamen prorsus existimo eodem modo discurrendum de omnibus formis contrariis quantum ad hoc, quod ut

appareat, proponam difficultatem *Arriaga*. Sic ergo discurret: Habens habitum vitij ut octo, v. g. quando incipit producere actum contrariæ virtutis, habet in priori naturæ habitum illum vitij ut octo retardantem illum ab electione actus virtutis; ergo non potest per illum actum virtutis producere gradum illum virtutis oppositæ, quo expelleretur vllus gradus istius habitus vitiosi; sed non potest expelli per habitum contrarium, nisi per illum actum produceretur aliquis gradus habitus contrarij, quo expelleretur aliquis gradus ipsius: ergo, &c.

34. Omittis aliis responsionibus ipsius ab ipso forte excogitatis, & parui momenti:

Respondes iuxta doctrinam communem de modo, quo expellunt se alia contraria, v. g. frigus & calor. In illo priori naturæ, in quo potentia libera antecedit actum suum, quem producit in instanti reali, non esse positum gradum formæ expellendum, sicut in nullo instanti priori naturæ incluso in instanti quo producitur vna forma substantialis in materia, est altera forma substantialis: aut in quo producitur lumen, est priuatio ipsius; aut in quo producitur frigus, est calor expellendus per illud; nec retardabitur consequenter pro illo instanti, quo elicit actus virtutis ab omnibus gradibus vitij præexistentis; sed solum ab illis, qui non expelluntur ab habitu acquisito per actum virtutis, qui tum producit: sicut nec frigus, ut octo secundum omnes gradus resistit calori pro instanti aut tempore, in quo calor producitur, quia non est secundum omnes gradus pro illo instanti.

Dices cum Arriaga, non sunt pro illo priori naturæ causæ determinatæ ad destruendum potius vnum gradum quam duos gradus; imò nec ad destruendum vllum gradum illius: quia causa potens hoc facere est tantum voluntas libera, ut suppono: sed illa potest nullum actum virtutis contrariæ elicere, aut elicere actū tantæ, vel tantæ intensiōis: ergo non est vlla causa determinata pro illo priori ad expellendum vllū gradum, aut vnum gradum potius quam duos; & consequenter non potest intelligi de destructis pro illo priori vllus gradus habitus destruendi.

35. Respondes distinguendo vltimum consequens: ab eo qui considerat ea tantū quæ sunt pro illo priori, transeat; ab eo, qui considerat, quæ sunt non solum in illo priori, sed in sequentibus naturæ instantibus repertis in illo instanti reali temporis, nego consequentiam. Itaque ut aliquid non sit pro vllō instanti, siue priori, siue posteriori naturæ incluso in instanti reali temporis, sufficit quod ponatur pro quocumque instanti siue priori, siue posteriori naturæ, aliquid impossibile cum ipso; & ad hoc quod aliquis cognoscat vtrū aliquid sit pro instanti aliquo naturæ, debet videre vtrum pro vllō alio instanti sit aliquid impossibile cum ipso; & si reperiat quod sic, debet dicere quod non sit pro illo instanti: nec refert quod pro aliis instantibus antecedentibus non sit causa determinata ad ipsum expellendum, sed sufficit quod pro aliquo instanti naturæ ex omnibus instantibus naturæ inclusis in instanti reali sit aliquid ad hoc determinatum. Sic autem fit in proposito: nam potentia libera licet pro priori naturæ, quo habet rationē causæ in actu primo, non sit determinata ad producendum actum virtutis aut habitum sequentē, est tamen sic determinata in posteriori, & hoc sufficit.

36. Dices secundo, causa libera non solum debet esse prior natura cum omnibus illis, quæ prærequiruntur ad actum, quem libere elicit, sed etiam cum omnibus illis principijs quæ requiruntur ad omnem actum oppositum possibilem producendum pro eodem instanti: sed habitus ut octo, v. g. est aliquid ex prærequisitis ad actum aliquem intemperantiæ oppositum actui temperantiæ producendum: ergo debet esse in illo priori habitus ut octo.

Respondes, negando maiorem, quia vnum ex principijs requisitis ad actum oppositum est negatio actus qui producit: sed talis negatio non potest esse positivè in illo priori, ut patet. Itaque sola illa principia debent esse positivè pro illo priori, quæ non debent tolli per illa, quæ in instantibus posterioribus producuntur.

Ex hac doctrina sequitur, non esse recurrendum ad

Quomodo determinat formaliter habitus.

Quomodo intensior actus posset haberi absque concursu habitus effectiu.

Quomodo duo repugnent habitus contrarij.


Quomodo se expellant.

saluandum quomodo expellant se mutuo habitus ad doctrinam nouam, quam eodem loci proponit *Arriaga*: nempe quod actus ille qui producitur à potentia in casu prædicto & omni simili, non producat habitum pro illo ipso instanti, sed pro alio sequenti, pro quo necessario conseruatur. Existimat enim actum qui libere producitur pro vnicuique instanti, necessario conseruari in potentia pro aliquot aliis instantibus, & habitum non produci per ipsum in primo instanti, sed in sequentibus.

Contra quam doctrinam facit principaliter, quod gratis excogitata est absque alio fundamento, quam ut per eam soluat prædicta difficultas, quæ sine ea saluari potest.

Secundo, quod dicat actum producere habitum non pro primo instanti, sed pro secundo instanti, cum non sit potior ratio cur ipsum produceret pro secundo quam pro primo.

Tertio, quod actus libere productus à potentia conseruetur ab illa necessario, cum tamen non sit magis determinata ad conseruandum quam ad producendum; & cum inde sequeretur quod non posset actum oppositum producere pro quocumque instanti post productionem actus: quæ omnia paradoxa sunt, & gratis asserta contra Doctores communiter.



DISPUT. IX.

De Anima separata.

ANIMAM separari à corpore tam certum est, quam homines mori, & eam manere extra corpus tam certum est, quam eam esse immortalem. Quinque autem possumus considerare animæ status post separationem, antequam iterum viuenda sit corpori in resurrectione.

Quinque
status
animæ
separatæ.

Primus est status quem habet ex natura sua physica, quamuis non esset ordinata ad penam aut gloriam.

Secundus est status gloriæ, quem habet in cælo.

Tertius est status pænæ æternæ sensus & damni, quem habet in inferno.

Quartus est status pænæ temporalis sensus & damni, quam habet in Purgatorio.

Quintus denique est status pænæ damni, non sensus, quem habet, secundum communiorum, licet forte minus veram sententiam, pueri non baptizati in Lymbo, vel in aliquo alio loco. Ex his statibus quatuor vltimum consideratio spectat ad Theologiam, quia Philosophia non attingit ad eorum cognitionem: sed solum ex reuelatione nobis constant: quamuis enim posset aliquis lumine naturali probabiliter colligere quod præmiarentur à Deo post hanc vitam, qui bene vixerunt, nec hic mercedem congruam adepti sunt, & similiter punirentur mali qui seculi præsentis vitauerunt pœnas, tamen quod vnius præmium, aut alterius pœna esset æterna, difficiliter poterit ratione naturali probari.

QVÆSTIO I.

Status separationis sitne naturalis an anima violentus.

Certum est separationem animæ esse tam ipsi, quam corpori naturalem, quatenus naturale opponitur supernaturali, sit enim ex actione causarum naturalium: est etiam quandoque naturalis, prout naturale opponitur libero, quando scilicet moritur quis ex febre orta ex causis naturalibus; & quandoque libera, ut quando quis ab agente libero interficitur.

Quæstio ergo est de naturali prout opponitur violento ac neutro, & meo iudicio maxima parte est de nomine, ortaque ex variis acceptionibus motus naturalis ac violenti, quibus vtuntur Authores. Pro vitanda autem æquiuocatione & resoluenda ipsa re independentem à quæstione de nomine:

Aduertendum est aliquid posse dici esse in statu violento ex eo, quod careat aliqua perfectione, quæ spectet ad substantiam ipsius, nec habeat aliquam aliam perfectionem substantiæ, idem incompatibilem cum illa, quantumuis haberet alias perfectiones accidentales meliores, quam haberet cum illa perfectione substantiæ; & in hoc sensu materia prima esset in statu violento quando haberet formam substantialem imperfectiorem, & caret perfectiori.

Variis
modis
potest
aliquid
dici in
statu vio-
lento.

2. *Alio modo* potest dici esse in statu violento, quando caret aliqua perfectione accidentali tendente ad conseruationem ipsius, quoad esse physicum; & sic aqua dicitur esse in statu violento quando est sub calore.

Tertio, potest dici aliquid esse in statu violento, ex eo, quod careat aliqua perfectione, quam ipsummet naturam est, tanquam causa naturalis adæquata, in se producere, si priuatur illa, & tollatur impedimentum; & in hoc sensu graue dicitur esse in statu violento quamdiu est sursum, & leue quamdiu est deorsum, & in hoc eodem sensu etiam aqua calida potest dici esse in statu violento.

Quarto potest dici aliquid esse in statu violento, ex eo, quod sit in aliquo statu, in quo habet impedimentum acquirendi aliquas perfectiones accidentales, & naturales, quas posset connaturaliter pro alio statu habere, nec alias ipsis æquivalentes potest habere. Et in hoc sensu intellectus alligatus ad phantasmata pro aliquo statu, si pro alio statu non esset alligatus, posset dici esse in statu violento.

Aduertendum secundo, secundum *Scotum* intellectum etiam coniunctum corpori, quantum esset ex natura sua, posse intelligere res omnes independentem à phantasmatis non minus quam possit in statu separationis. & ita intellexisse in statu naturæ institutæ ac integræ, illo scilicet, quem habuit Adamus, & haberent posterius eius, si non peccasset in Paradiso; quod autem in hoc statu non intelligat sic, vnam esse ex pœnis peccati originalis.

CONCLUSIO I.

3. *Separatio est animæ violenta, & non naturalis primo modo.* Hæc patet, quia anima separata caret complemento substantiæ, ad quod essentialiter ordinatur, nempe corpore; nec vllam perfectionem habet ipsi æquivalentem impossibilem cum ipso: ergo est violentus ipsi ille status, non minus quam esset violentus status materiæ, quo esset sine vlla forma substantiæ.

Separatio
est animæ
violenta in
vno sensu.

Obijciens primo: de ratione violenti est, quod non sit à principio intrinseco, sed separatio sæpe provenit à principio intrinseco: ergo non est violenta.

Respondeo, distinguendo maiorem: quod non sit à principio intrinseco, hoc est, iuxta inclinationem principij intrinseci seu subiecti, cui dicitur esse violentum, concedo maiorem; hoc est, quod non concurrat illud principium effectiue siue proxime, siue remote ad illud, nego maiorem. Et similiter distinguo minorem: sæpe provenit à principio intrinseco, id est, sæpe fit iuxta inclinationem eius, nego minorem; provenit à principio intrinseco, id est, causatur effectiue, vel proxime, vel remote à principio intrinseco, transeat minor, & nego consequentiam. Quod autem possit motus violentus provenire efficienter à principio intrinseco effectiue, probatur: quia motus, quo mouet se homo sursum, dum saltat, est ipsi violentus, & tamen producitur effectiue ab illo.

Obijciens secundo: Anima ex natura sua est immortalis, & informat corpus amissibiliter: ergo ex natura sua status separationis est ipsi naturalis.

Respondeo, distinguendo consequens: est ipsi naturalis, prout naturale opponitur supernaturali, concedo: prout opponitur violento, nego. Itaque quemadmodum aqua, licet naturaliter possit esse calida, & tamen calefactio est ipsi violenta: ita anima potest esse naturaliter separata, quamuis separatio sit illi violenta.

CONCLUSIO II.

4. *In nullo alio sensu separatio est violenta animæ.*

Probat, quia nullas perfectiones potest habere in corpore, aut producere in se, quas non potest producere in se, aut habere in statu separationis, aut alias perfectiones.

In nullo
alio sensu
separatio
est ipsi
violenta.